





1727/10

14
19

**IO. CHRISTIANI
SCHROETERI,**

PROFESSORIS PVBLICI, CVRIÆ PROVINCIALIS,
SCABINATVS ATQVE FACVLTATIS IVRIDICÆ
ADSESSORIS ORDINARIJ, HOC TEMPORE
DECANI,

**PROGRAMMA,
de abolitione antiqua et hodierna.
INAVGVRALI DISSERTATIONI**

CLARISSIMI IVRIVM CANDIDATI
**POLYCARPI CHRISTIANI
MECKBACHII,**

PRÆMISSVM.

**IENÆ,
LITTERIS IO. BERNH. HELLERI.**

e-
od
us
ru-
em
es-
lo-
&
ihi
ex-
om-
ine,
tice
Et
Li-
qui-
non
s, fu-
lan-
tua,
e in-
ehas





* * * * *

Verba valent, sicut nummi: Hoc prouerbi-
um non solum iam antiquis sapientibus
usitatum fuit, ut patet ex PLVTAR-
CHO de *Pythia oracul.* eum quo consen-
tit ARISTOTELES de *nummor. variat. 5.*
eth. c. 5. & 1. polit. c. 2. & QVINTILIANVS
l. 1. instit. c. 4.; sed & illius veritas adhuc
experientia & praxi comprobatur. Nam

verba in se considerata nullam vim & significationem habent,
quæ omnis dependet ab usu & autoritate hominum; Vnde
venit, quod vocabula sæpius pro arbitrio hominum varium & di-
uersum significatum accipiant, & quod ob communem & vulga-
rem usum loquendi, sæpe a prima & propria significatione rece-
datur; quod etiam in iure nostro occurrit. Verbis enim quan-
doque abutimur *l. 41. π. de fecul.* De verbis autem nihil curatur,
modo de voluntate constet *l. 15. C. de testament.* Verba rebus, non
res verbis deferuire debent *c. 11. caus. 22 qu. 5.* Et sensum non va-
na nomina amplecti oportet *l. 2. §. 1. vers. ut subtilitate C. de constit.*
pecun. Constat, quod propter non rectam intelligentiam legum
romanarum doctores & interpretes iuris, in primis glossatores,
nec non illi, qui in foro versantur, in interpretatione & appli-
catione earum sæpius valde hallucinati sint, quod multis exem-
plis ex iure petitis demonstrauit ANTON. FABER, Ictus Sabau-
dus, in elegantî opere, de *erroribus pragmaticorum & interpretum*
iuris. Nobis hic sufficiat, alium errorem a Practicis commissum,
& ab ANTON. FABRO notando omissum, sub censuram vocare,
& quidem in materia criminali de *abolitione.* Hoc vocabulum ho-
die apud Pragmaticos plane diuersum significatum habet, quam
olim iure romano habuit. Nam iure romano *abolitio* nihil aliud
erat, quam absolutio accusatoris ab accusando, qua ab inscripti-
one absoluebatur, remissa necessitate accusandi. Ita & PAVLVS
sentent. recept. l. 5. tit. 17. n. 1. ait: *Abolitio est deletio, oblitio vel ex-*
tinctio accusationis: Ibi ANTON. SCHVLTING. *not. p. 406 subii-*
cit: *Abolitio non tollit crimen, sed solum accusationem*; ac per eam ab
hac sola liberatur reus, & accusator onere accusationis suæ prosequenda;
Vel

Vel vt ERICVS MAVRITIVS in *diff. de abolitione §. 2.* eam defini-
nit; quod sit necessitatis accusandi, nondum lata sententia, facta remisso.
Origo abolitionis perenda est ex Scto Turpilliano, quod vero-
simile est factum fuisse sub Nerone imperatore, Caio Silio &
Marco Turpilliano Coss. anno DCCCIX, ut HOTTOMANNVS
in *lexico iuris* obseruat. Ante hoc tempus licuisse impune ab ac-
cusando desistere, variis exemplis ex historia romana petitis de-
monstrat PETR. ERODIVS *rer. iudicat. l. 9. tit. 8. c. 17.* Hoc
Sctum præmissum latum est in *tergiversatores*, qui ab accusatione
cepta, non impetrata abolitione, desisterent *l. 1. §. 1. l. 13. π. ad*
SCi. Turpill. l. 1. C. eod. Pœna tergiversatorum erat quinque li-
brarum auri *l. 3. in fin. de prævaricat.* vel etiam extraordinaria *l. 2.*
C. ad SCi. Turpill. & quod postea inhabiles essent ad accusandum
l. 2. π. ad SCi. Turpill. l. 3. §. 4. C. eod. Impune vero quis ab ac-
cusatione criminis instituta recedere poterat, si abolitionem pete-
ret eamque impetraret *l. 1. §. 7. §. 9. π. eod. tit.* Quamuis sint, qui
existiment, tergiversationem & abolitionem idem esse. Erat au-
tem *abolitio* duplex, publica & priuata *l. 11. §. ult. π. de accusat. l. 8.*
π. ad SCi. Turpill. PAVLVVS l. 5. sentent. tit. 17. n. 2. Publica abo-
litio, quæ & *generalia* dicitur *tit. C. de gener. abolit.* ea erat, quæ
publice fiebat *l. 14. §. 1. π. de honor. liberi, l. 10. §. 1. & l. 17. π. ad*
SCi. Turpill. ob publicam gratulationem, vel ob rem prospere ge-
stam, vel ob lætitiã aliquam, vel ob honorem domus diuinæ
l. 7. l. 8. l. 9. §. l. 12. π. ad SCi. Turpillian. Eadem ex Scto fiebat, vel
a principe dabatur *l. 2. π. de custod. reor. l. 12. ad SCi. Turpill. l. 1.*
C. de gener. abolit. Et hoc casu durantibus feriis accusationes om-
nium criminum, paucis exceptis, de quibus in *l. antep. & pen.*
π. ad SCi. Turpill. abolebantur; sed feriis finitis intra 30. dies v-
tiles accusatio repeti poterat *l. 1. 10. 12. 15. §. fin. eod.* Priuata vero
erat, quæ & *specialis* vocabatur & priuatim fiebat, accusatore po-
st ilante, ex eo, quod per errorem, temeritatem, vel calorem, fa-
cilitatem ætatis ad accusationem profilierit *l. 10. π. ad SCi. Turpill.*
l. 2. C. de abolit. Fiebat & alio genere ex lege abolitio, accusa-
tore moruo, vel ex iusta causa impedito, quo minus accusare
posset *l. 10. π. ad Turpill. l. 3. in fin. π. de accusat.* Hæc abolitio, quo-
cumque genere fiebat, habebat saltem effectum tollendi *accusatio-*
nem, non vero *crimen*. Nonnulli quidem, vt PETR. GREGO-
RIVS THOLOSANVS *Synragm. l. 32. c. 23. n. 3.* ANTON PE-
REZ

REZ. ad iii. C. de abolit. n. 2. & IO. CALVINVS: *lexico iuris voc.*
abolitio, distinguunt inter abolitionem *criminis* & *accusationis*: in
illa quid amplius esse, quam in hac, siquidem illam (cum crimine
ne accusationem tollere & poenam, & hanc solum ab accusatio-
ne eximere, quae post tempus aut ab alio repeti possit. Verum
haec distinctio fundamento destituitur, nam si per crimen intel-
ligunt *accusationem*, ut ita eam accipit ULPIANVS l. 7. *pr. de accus.*
& IVSTINIANVS *princ. l. de susp. tutor.* tunc nulla est differentia
inter ea, quae re conueniunt: Si vero existimant, idem esse, ac
poenam, tunc sciendum, de hac in *abolitione* non agi; sed in *li-*
beratione, & dicitur *indulgentia*, *ag gratiatio* (quae ab abolitione differt,
ut in ciuilibus absolutio ab *actione*, & absolutio ab *instantia*.) Si
autem crimen illis est, ac ipsum *delictum*, tunc nihilominus illud
ab alio adhuc post abolitionem, vni accusatori datam, accusati pot-
est l. 11. *S. ult. pr. de accusat.*; Vnde merito hanc distinctionem ex-
plodunt MAVRITIVS *cit. diff. S. 12.* & L. B. de LYNCKER *anal. ad*
Siruii synt. tit. ad SCi. Turpill. ib. 89. Videntur autem illi, qui hanc
distinctionem defendunt, in errorem incidisse, quod vltima verba
rubricae *tit. pr. ad SCi. Turpill. de abolitione criminum* inscripta sint;
sed antea iam probatum est, *crimen* in iure nostro saepe idem si-
gnificare ac *accusationem*. Vnde prouenit etiam error PETRI
GREGOR. THOLOSANI, CALVINI, HENR. ZOESII *tit. pr.*
ad SCi. Turpill. n. 19. & aliorum statuentium, ius petendae aboli-
tionis non solum *accusatori*, sed & *reo* iure romano competisse ad
eum effectum, ut perpetuum silentium accusatori impositum sen-
terit, nec accusatio contra reum repeti potuerit. Verum haec sen-
tentia nullo plane fundamento nititur: Nam *abolitio*, iuxta supra
allatam definitionem, est *absolutio ab accusatione*; hoc vero non
potest dici de reo; siquidem *abolitio* respectu accusatoris ideo
dicebatur, quod accusator in instituenda accusatione crimini, id
est, libello accusatorio, cuius formula extat in l. 3. *princ. pr. de*
accusat. & inscript. & quarum alias exhibet BARNAB. BRISSO-
NIVS *de formul. l. 5. p. 469.* nomen suum subscribere debebat,
quod postea, abolitione ex iusta causa impetrata, iterum dele-
batur. Nec nullibi in iure romano *abolitio* denotat *liberationem*
rei a poena, sed haec solet dici *criminis condonatio*, *gratia*, *restitutio* &
indulgentia principis, quae multum differt ab *abolitione*, quod non
fiat *ante sententiam* definitiuam: nam quando princeps poenam
remit-

remittit, tum iam adest sententia definitiva: quando vero accusator abolitionem impetrat, tum nondum adest sententia definitiva, sed saltem remissio accusationis. Et quamquam per abolitionem reus etiam liberatur ab accusatione, hoc tamen non fit *vi sententiae*, sed *natura relatorum*: nam vno non existente relatorum, nec alterum existere potest. Quod vero haec *abolitio accusationis* ab *indulgentia criminis* iure romano fuerit distincta, patet quoque ex *Cod. Theodosiano*, ubi distincti tituli sunt: nam *lib. IX. tit. 37.* agitur de *abolitionibus*, & *tit. 38.* de *indulgentiis criminum*; & quamvis sint, qui putant, quod *indulgentia criminum* etiam *publica abolitio* dicatur *l. 3. C. Theod. de abolit.* quae est *l. 9. C. Iust. de calumniar.*; attamen ex inspectione legis contrarium patet, quod scilicet *abolitio* & *indulgentia* a se distinguantur. Nec quicquam dissentientium opinionem iuvat *l. 33. r. de penis*. Nam ibi vocabulum *abolitio* in sensu improprio & metonymico sumitur. Nec porro obstat *l. 3. §. 1. r. de accusat.* ubi dicitur, quod *si libelli inscriptionum legitime non ordinati fuerint, vel nomen aboletur & ex integro repetendi reum potestas fiet*. Sed hoc casu non tam aboletur, quam retro nulla declaratur accusatio. Sunt & aliae leges, ubi *abolitionis reorum* mentio fit; attamen haec ita intelligenda veniunt, ut scilicet abolitiones hanc effectum habeant, quo per eas rei liberentur ab *accusatione*, non vero quasi eo ipso liberentur a *crimine* vel eius *pena*. Haec autem sententia, quam hic tuemur, non demum noua est, sed fuerunt iam olim Icti acutissimi, qui errorem illorum, qui putant, *ius abolitionis* petenda etiam *reus* competuisse, quoque tetegerunt, inter quos praecipui sunt PETRVS THEODORICVS *colleg. criminal. disp. 10. tit. 7. lit. C.* MAVRITIVS *cit. diss. n. 18. seqq.* ANTON. MATTHÆI de *criminibus* ad *lib. 48. D. tit. 19. c. 6.* Quum ergo ex haecentis dictis planum sit, abolitionem iure romano saltem respectu *accusationis* locum habuisse; inde videtur colligi, hodie, cum processus accusatorius non frequentetur, eam rarius vsu venire: in quam sententiam pronior sum, quam ut cum WISSENBACHIO *tit. r. ad Sci. Turpill. tit. 3.* & GILHAVSEN *arbor. crim. P. 2. c. 3. n. 20.* statuam, hodie abolitionem plane vsu non habere; cum experientia satis doceat, quod hodiernum etiam processus accusatorius solet institui. Sicut & iure canonico *abolitio* non incognita est, ut patet ex *α 8. caus. 2. qu. 3.* quod ex *libro Capitularium*, in quo multa ex iure romano petita continentur, desumptum est:

licet in *decretalibus* de ea nulla mentio fiat. Et quamvis videri
possit, *generalem* abolitionem, quæ & ipsa apud romanos extra
ordinaria erat, in defuetudinem abiisse; Attamen hoc minime
de *speciali* seu *privata* asseri potest: Cum & iure Saxonico certa
pœna statuta sit iis, qui sine abolitione ab accusatione destite-
rint. Land-Recht l. 1. art. 62. Schreyetier aber das Gerichte um
ungericht, das an ihn begunst ware, das muſer voll fordern
mit rechter Klage. Et l. 2. art. 8. der um ungericht klaget auf
einen der nicht gegenwartig ist, Komt jener vor, und klaget
dieſer denn nicht mehr auf in, er muſ dem Richter darum
wetten, und jenem seine Buſſe geben: add. ZOBEL in *glossa*
noua ad h. 4. Quam ob rem alii, vt WESENBECIUS ad *tit. de*
accus. & ad *tit. Scit. Turpill.* MAVRITIVS *cit. diff.* § 47. & 51. L.
B. de LYNCKER *anal. ad Sruvium tit. ad Scit. Turpill. ib. 90.* BRVN-
NEMANN ad l. 2. C. ad *Scit. Turpill.* & ad l. *ult. C. de abolit. n. 2.*
SCHULTER *Exercit. ad tit. 49. ib. 153.* defendunt, abolitionem accu-
sationis adhuc hodie *usu* obtinere. Ab hac porro *abolitione* accu-
sationis, bene distinguenda est *cassatio processus criminalis*, siue ac-
cusatorii, siue inquisitorii, respectu rei, autoritate publica, seu a
principe facta, quando reus ex indulgentia principis a processu
siue accusatorio, siue inquisitorio contra eum instituto liberatur,
quæ & ipsa tamen a Pragmaticis, alio vtique sensu, quam iuris
romani, solet vocari *abolitio*. Hæc abolitio, respectu rei, iuxta v-
sum hodiernum, iterum distinguenda est inter abolitionem *pro-*
cessus, & abolitionem *pœne*. Illa est, quando princeps prohibet
iudici, ne contra aliquem processum criminalem formet, vel si
iam cœptus sit, iubet, vt annulletur, quæ proprie *abolitio* voca-
tur, de qua scripsit SAM. STRYCK *diff. de abolitione principis*. Hæc
vero fit, quando quis per sententiam iam ad certam pœnam con-
demnatur, ab executione pœnæ liberatur, atque frequentius no-
mine *ag gratiationis* venit, de qua DANIEL CLASEN *de iure ag-*
gratiandi: quod de priori non potest dici, quia ante sententiam
nondum constat, an ille, contra quem processus intentatus, no-
cens vel innocens sit. Hæc conceditur ex *mera gratia*, etiam sine
iusta causa, quæ scilicet ex doctrina interpretationis legum & æ-
stimationis delictorum descendit, licet concedatur non sine ra-
tionibus & causis prudentibus, Dn. THOMASIVS *diff. de iur. ag-*
gratiandi princip. euangel. in caus. homicid. c. 1. ib. 7. & 9. Ab *ag gra-*
tiations

iatione iterum differt mitigatio pane, quæ fit ex iusta causa ex fontibus interpretandi legum peritis, & quæ tanquam species interpretationis a iudice exerceri potest, Dn. BERGER elect. iuriprud. crim. obs. 8. Hæc præmittenda duxi dissertationi solenni DE ABOLITIONIBVS & iure tertii circa eas, *CLARISSIMI IVRIVM CANDIDATI,*

POLYCARPI CHRISTIANI MECKBACHII,

Natales ipsi dedit Longosalsissa notissimum nostratibus oppidum. In eo IO. CHRISTOPH. MECKBACHIVS, I. V. D. Serenissimi Ducis Saxo-Weissenfelsensis Commissarius provincialis, & ordinis fenatorii in dicta vrbe consul, è coniuge MAGDALENA SABINA, ex gente BRENDLIORVM, oriunda, nostrum suscepit, anno currentis seculi, tertio, die vigesimo, mensis duodecimi. Hi parentes filium suum a teneris ad pietatem, quæ omnium virtutum mater est, assuefecerunt. Postquam vero paulatim accrescere coepit, primis literarum rudimentis imbuendum, duxerunt in frequentem scholæ patriæ cœtum. Præerat illi tum temporis & bene de eadem merebatur, vir plurimum reuerendus M. HEDENVS, nunc pastor Vifhouiensis, nostro affinitatis vinculo iunctus. Huius labores pari dexteritate iuuabat M. OLPIVS Con-
Rectoris officio probe functus. Cantoris autem partes explebat GVNTHERVS *ὄν ἐν ἀγίοις*. Sub horum magistrorum fidelissima manu ductione vsque ad annum ætatis decimum nonum in elegantioribus literis, quæ ab humanitate nomen habent, fundamenta haud infelici successu posuit. Deinceps ex voluntate optimi genitoris, & horum, quos modo laudauimus, præceptorum consilio, Weissenfelsam eo animo concessit, vt maiora caperet studiorum, incrementa. Insuper igitur albo illustri Augustei per biennium recitationibus celeberrimorum professorum magna cum assiduitate attentas præbuit aures. Hæsit præcipue à latere viris magna nominis claritate conspicuis, D. HARTVNGIO, qui eo tempore in hoc Lyceo rectoris munereungebatur, sed nunc in atheneo Giesensi iuris professionem tuetur; item M. BÜTNERO, tam in eodem gymnasio professori publico, nunc cœtus fidelium apud Querfurtenses pastori primario, & Serenissimo Duci Saxo-Weissenfelsensi a consiliis ecclesiasticis. Ex istius ore historię vniuersalis nec non institutionum iuris explanatione

nationem solidam hausit, huius autem priuatisima opera in disciplinarum philosophicarum campo feliciter decurrendo est usus. Hac *agorardica* probe instructus, ad doctorum academicorum auditoria mittebatur. Elegit nostrum, quod Sala alluit, mularum domicilium, quod anno huius seculi supra vigesimum secundo faustis aibus ingressus est. Ab eo tempore in praefectionibus publicis priuatisque celeberrimorum huius athenae doctorum sedulus comparuit. Fundamentis philosophicis Weissenfelsae in Augusteo iactis, maiora superstruxit, moderante maxime reuerendo WALCHIO, SS. Theol. D. eiusdemque nec non eloquentiae & poeseos professore publico. Cum philosophicis vero iuris ciuilibus, canonici, feudalis & publici studia coniungere cepit, regiamque ipsi viam ad themidos sacra monstrarunt consultissimi iurum doctores, HARTMANNVS, quem logicae praecipua, exemplis ex vtriusque iuris doctrina desumptis, illustrantem audiuit, HOFFMANNVS ius naturae & institutiones iuris exponens, BRVNQVELLVS, cuius recitationibus tum priuatis, in iurisprudentia ciuili, tum priuatisimis, in ceteris iuris ciuilibus partibus tam felices progressus fecit, ut sub eiusdem viri consultissimi praesidio theses ex compendio Lauterbachiano desumptas, aduersus eruditas commilitonum obiectiones, publice defendere posset. Denique scholas etiam excellentissimi Doctoris & Consilarii Saxonici BRVCKNERI frequentauit, eumque processum iudicium D. GRIBNERI profitentem audiuit. Maturus siq. studiis ab ordine nostro nuperrime, vt in candidatorum numerum reciperetur, modeste petuit. Exploratis more solenni profectibus, dignus est habitus, qui ex cathedra publica dissertationem dictam inauguralem, sub praesidio laudati modo BRVCKNERI, defendat. Huic actui solenni die Junii, diuini Numinis fauente gratia, instituendo, Magnificae academiae Pro-Rector, illustrissimi Comites, venerandi academiae Proceres, & quotquot egregijs artibus fauent, gratiosa ac beneuola sua praesentia splendorem & decus afferre dignentur, perofficiose rogo atque contendo. P. P. sub sigillo Facultatis Anno clo 1o cc xxvll. d. Junii.

(L. S.)

ULB Halle
006 832 288

3




510

VLB Halle 121

VLB







1727, 10
14
19

CHRISTIANI
SCHROETERI,

SSORIS PVBLICI, CVRIÆ PROVINCIALIS,
BINATVS ATQVE FACVLTATIS IVRIDICÆ
ADSESSORIS ORDINARIJ, HOC TEMPORE
DECANI,

PROGRAMMA,
abolitione antiqua et hodierna.
GVRALI DISSERTATIONI

LARISSIMI IVRIVM CANDIDATI

YCARPI CHRISTIANI
MECKBACHII,

PRÆMISSVM.

GENAE,
LITTERIS IO. BERNH. HELLERI.